









22

DISSERTATIO CIRCVLARIS  
DE  
VITANDO ERRORE  
IN DIJVDICANDIS PHAENOMENIS  
ANTLIAE  
PNEVMATICAЕ,  
QVAM  
PRAESIDE  
CAROLO AVGVSTO  
à BERGEN,  
MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD.  
IN  
AUDITORIO MEDICO  
DIE VII. OCTOBRIS AN. MDCCXLI.  
PVBLICE DEFENDET  
RESPONDENS  
JOH. CHRISTIANVS LINDNER,  
Lignic. Siles.

---

FRANCOFVRTI ad VIADRVM,  
Typis PHILIPPI SCHWARTZII, Acad. Reg. Typ.

DISSESSATIONES RICARDI  
IN DIADICIONIS THESES  
ANTIQUE  
PNEUMATICA  
CAROLO AUGUSTO  
BERGHIN  
M.DOCET ET SEOR PAVI ODO  
ADDITIONES ET DEDICATIO  
DE ARI CICLOPSIS V. MDCCXII  
S. BIBLIOTHECA  
CHRISTIANA ENDER





Q. D. B. V.

§. I.



quo tempore me docendæ Physicæ experimentali applicui, serio semper deprehendi, nullam Philosophiæ partem difficultiorem esse, quam quæ de experimentis faciendis agit, quippe quæ desiderat & docentem & discentem in universis Physics & Mathefeos partibus versatissimum, qui & invenire, & inventa dirigere novit, qui possidet singularem manuum dexteritatem, experimentandi habitum, animum denique ad phænomena observanda attentissimum.

§. II.

Quae, cum ita sint, mirum non est, licet tot Reges & Principes passim in Europa integra collegia & societates sumptibus fere regiis stabiliverint, quarum membra certatim & conjunctis quasi viribus, ad excolendam hanc Philosophiæ partem innumera contulerunt experimenta, ut

A

animum

animum à prejudiciis liberum formarent, disciplinas ab incertitudine & barbarie liberarent; testantibus id splendidissimis Academiis, Cæsareo Imperiali, Petropolitana, Regia Gallica, Britannica & nostra Borussica aliisque non paucis: id pretii minime reportatum esse, ut certa & inconclusa à posteriori conderentur disciplinæ hujus principia, ut potius hodie non pauca superfint capita, quorum rationes aut plane non, aut non nisi conjecturaliter dari possint; alia prorsus ita sint comparata, ut limites cognitionis humanae transcendere videantur.

### §. III.

Vix unquam tolli posse has querelas, tum ex rationibus allatis (§. 2.), tum ex defectu experimentorum, quæ in amplissimis naturæ regnis numero pene infinito desiderantur, facile prævideo. Dolendum saltem dari inter Eruditos, qui vel principia sua mordicus propugnantes, vel plane auctoritatis præjudicio occocati de phænomenis quibusdam dubitant, quorum datae rationes sat cohærent, quarumque veritas experimentorum crescente numero indies corroboratur. Ut exemplorum frequentiae parcam, antliæ pneumaticæ, principis alioquin in Physica experimentali machinæ mentionem duntaxat facere lubet, quæ consentientibus omnibus multas aeris aliorumque corporum latentes qualitates detexit. Nihilominus in confessso est, Physicos, effectus hujus machinæ explicantes, admodum dissentire, aliis aeris gravitatem & elasticitatem ceu causas effectuum hujus machinæ admittentibus, aliis viuum subreptionis in experiendo crepantibus & ad causas obscuriores provocantibus.

### §. IV.

## §. IV.

Movit me hæc discrepantium turba, tum & machinæ  
rum & experimentorum conditio, ut præsenti in disserta-  
tiuncula inquirerem in media, quorum ope *errores in diju-  
dicandis phænomenis antlia pneumatica evitari possunt*, simulque  
indicarem quam facilis, tum respectu machinæ, tum eorum  
qui experimenta faciunt, in errorem detur lapsus. *Quod*  
*ipsum qua fortuna præstiterim æqui Lectoris judicio sub-  
mitto.*

## §. V.

Phænomenorum antlia pneumaticæ indolem inda-  
gaturus commode animadverto, quod Physici per *phæ-  
nomenon naturale* in genere intelligent *experientiam* sive  
cognitionem, quam unius vel plurium sensuum ope percipi-  
mus. *Experientia* autem in physicis duplex est, prima,  
qua est *observatio* versatur circa facta naturæ, qua sponte  
sensus nostros feriunt, ubi nihil mutatur cum in organo no-  
stro sentiente tum in ipso objecto. Altera est *experi-  
mentum*, qua experientia pariter circa facta naturæ occupa-  
tur, sed ubi mutatur vel organum sentiens vel objectum  
experimenti. Diversitas hæc in quovis experimento no-  
tanda docet duplicis generis esse experimenta naturalia.  
Primi nempe generis sunt ubi immutato objecto armatur  
sensorium organum & vires ejus intenduntur, ut sunt omnia  
experimenta microscopica variaque optica pariter ac acu-  
stica. In secundo experimentorum genere mutato, & in  
artificiale statum posito objecto sensus manent immu-  
tati, qualia sunt experimenta cum antlia pneumatica in-  
stituta.

A 2

## §. VI.

Definita natura experimentorum, quæ cum antlia pneumatica institui solent, dispiciendum restat, cuiuslibet indolis ac modi sint errores in experiendo cum hac machina commissi. Hos vero multiplices esse existimo; primos voco errores crassæ ignorantia, si quis nempe fabricæ ac usus hujus machinæ penitus ignarus, temere ipsam ciere & agitare aggreditur, qui longe abest, ut consueta phænomena producat, ut potius qua data occasione machinam pessundet, quorum tamen errorum, cum in peritos artis cadere nequeunt, hic duntaxat mentionem facio. Magis sunt attendendi, qui culpa machinæ fiunt, & qui latenter aliquem defectum produnt, ab experimentatore utcunque perito non statim detegendum. Sæpe enim contingit, ut deesse aliquid observetur, sed quod nam sit, ubique hæreat malum inveniri nequit. Cum enim raro, quod opera humana fit, omnibus numeris absolvî potest, multo minus id sperare licet de machina nostra pneumatica, ceu maxime composita & ex tot partibus constante, quæ etiam peritisimos sæpe vexat. Quo minus ergo docentes in hunc errorem rapiantur, antequam cum machina periculum faciamus, cuncti defectus sollicite notandi & emendandi sunt, quod quippe res magni momenti est, cum pauci tam bene in mechanicis sint versati, ut indolem & defectus machinarum intelligent. Deinde quoque latet aliquid incogniti in diversa magnitudine machinarum pneumaticarum quod verbis satis exprimi nequit: falsum enim est theorema, antliarum effectus esse proportionales earundem diversæ magnitudini. Sæpe enim fit, ut parvum instrumentum quibusdam in calibus successus habeat optatos,

quos

quos in majori frustra conari producere; quod ipsum non nisi facto periculo innotescit. Contra magna instrumenti moles aliqua præbet phænomena, quæ nunquam ab exili excitari observantur.

## §. VII.

Alterius indolis sunt errores, qui ab ipsis objectis profiscuntur. Hæc enim sive sit aer, sive sint alia corpora fluida & solida, pro differentia sui voluminis & massæ ad experimentum requisitæ novos semper effectus produnt. Evidenti documento sit experimentum G. J. GRAVESANDE <sup>a</sup> de ponderatione corporum diversæ gravitatis specificæ in vacuo, quod mihi nunquam in bilanci parva, & ubi cubus cereus præter propter  $\frac{1}{6}$  digitii cubici erat, ex voto respondit: cum tamen utique me judice hujus experimenti veritas evinceretur in volume corporum ponderandorum & recipiente majore. In determinanda gravitate specifica aeris ad aquam eundem errorem errasse mihi videntur auctores, qui, quod ex comparatione liquet, animum ad circumstantias objecti, instrumentorum & ipsius experimenti non satis attentum attrulerunt. Quis enim unquam diversissimas scriptorum de gravitate aeris ad aquam supputationes conciliabit? si potius dixerit plurimos quam longe a vero aberrasse. Sic J. B. RICCIOLVS <sup>b</sup> & R. BOYLEVS <sup>c</sup>, qui gravitatem aeris ope vesicæ ponderarunt, eam fecerunt, ut 1. ad 10000. & ut 1. ad 7000. A quo tamen calculo maxime recedunt, qui neglectis vesicis aerem in aliis majoribus vasis ponderarunt. Hinc B. de VOLDER <sup>d</sup> eam

A 3

invenit

---

<sup>a</sup> Physices Elementa Mathematica. L. B. 1725. T. I. p. 314.  
<sup>b</sup> Almag. nov. Lib. II. C. 5. §. 4.  
<sup>c</sup> De Aeris elat. & pond. Oper. T. III.  
<sup>d</sup> Quæst. Acad. Mediob. 1681.

invenit ut i. ad 970. HOMBERGIVS e ut i. ad 800.  
 C. WOLFIUS f ut i. ad 846. W. SENGWERDVS g  
 ut i. ad 500. qui numeri ad minores fractiones redacti  
 $\frac{1}{100}$ ,  $\frac{1}{50}$ ,  $\frac{1}{25}$ ,  $\frac{1}{8}$ ,  $\frac{1}{4}$ ,  $\frac{1}{2}$ , enormem suggerunt differen-  
 tiā, maximam nempe ut 5. ad 100., utpote talem, qua-  
 vel artem fallacem & incertam, vel experimentatores tur-  
 piter deceptos esse, dicas necesse est. Pariter in vitium ju-  
 dicii per praeципitantiam lati incident, qui ex particulari  
 unius vel alterius corporis phænomeno in vacuo se mani-  
 festante ad alia corpora argumentantur, vel universaliter  
 aliquid affirmant; quod faciunt qui v. c. ex pulveris pyrii in  
 vacuo accensu vi explosiva amissa universaliter concludunt, ideo  
 quecunque corpora in vacuo combusta hanc vim amitte-  
 re, cum minium in aere combustum teste experientia liques-  
 eat, in vacuo accensum pulveris pyrii instar disploditur.  
 Caveamus itaque ne a particularibus ad universalia vel ne-  
 ganda vel affirmanda hic unquam concludamus. Qui por-  
 ro objecti cujusdam naturam ope antliae examinare ten-  
 tant, & unicæ duntaxat viæ & methodi delectum habent,  
 ubi plures super sunt, errorem vix evitare possunt, quod  
 probe inculcavit R. BOYLEVS h experimentis suis cum  
 pulvere pyrio institutis, ubi semper novos effectus novaque  
 phænomena notavit, sive vitro caustico, vel speculo causti-  
 co, sive chalybis & silicis ope, vel ferro candente sub vacuo  
 accensus fuerit.

## §. VIII.

---

f Nützliche Versuche. T. i. p. 154. g. Phil. natur. L. B.  
 1681. h. Oper. Tom. i. nova Experimenta physico-  
 mechanica. p. 36.

Sed revertor ad modo relietam materiam de gravitate aeris ex phanomenis antlia pneumatica determinanda (§. 7.); ad quem calculum rite supputandum, quum non levis & deflatoria requiritur perspicientia, mirandum non est, ab eo tempore, quo ab O. de GVERICKE & R. BOYLEO hoc aeris attributorum par, gravitas & elasticitas erui cœpit, jam inventos suis hōthines hanc doctrinam impugnantes, quos inter Fr. LINVS i milhi nominandus venit; cuius tamen controversiae cupidos ablego ad R. BOYLEVM in defensione contra LINVM.<sup>i</sup> Inter recentiores, qui de aeris gravitate dubitant invenio quosdam aeris gravitatem absolute negantes, alios quidem absolutam gravitatem admittentes, qui tamen inficias eunt hanc ipsam cooperari ad effectus antlia pneumatica productos. Primæ sententiae propugnatorem in medium produco A. RUDIGERVM i, qui multis argumentis & experimentis evincere conatur gravitatem aeri atmospherico frustra tribui. Supponit primo loco ex theoremate ARISTOTELICO, elementa in elementis suis, acrem in aere, aquam in aqua &c. non gravitare posse: nam corpus ut grave vel leve sit, debet esse absque unione, hincque totum aerem, seu in suo loco non existentem, quidem gravem esse posse, quam cunque autem ejus partem in connexione cum reliquis nihil ponderare. Quam absolum vero sit totum, non vero partes gravitare, cum totum consistet ex partibus, aliis dijudicandum relingo. Ut taceam ab O. de GVERICKE<sup>m</sup> & B. de VOLDER

---

i Tract. de Corporum inseparabilitate. Lond. 1661. 8.  
k. l. c. T. I. L. Phys. divina Francof. ad Mœn. 1716.  
4. p. 228. m. Exper. nov. Magdeb. Amst. 1672. fol.  
L. III. c. 21.

VOLDER <sup>n</sup> aerem in aëre, in globis vitreis vel cupreis esse ponderatum & pondus ejus relative ad alia fluida accurate esse determinatum. Ridiculum vero argumentum est allati Auctoris <sup>o</sup> quo ex phænomenis campanæ urinatoriæ probat aerem non esse gravem, quæ ægrius vel plane non descendit, si quicquam aeris intus relinquatur, sponte vero ad fundum petit, si inverse aquæ committatur, hac super re ita ratiocinans: si aer gravis est, ejus gravitas addita gravitati campanæ urinatoriæ descensum ejus accelerare debet; sed per experientiam contrarium innescit. Quasi vero non omnis gravitas sit relativa & specifica aeris & aquæ tot gradibus differat, ut corpus vitreum campanæ ex reliquo aere revera non fiat levius ipsa aqua. Sane prodit hoc ipso RVDIGERVS, alias in effingendis rerum naturalium elementis sat ingeniosus, se doctrine Archimedæ fuisse penitus ignarus. Tandem provocat ad experimentum P. de LAMIRIA, contra gravitatem aeris, quod omni exceptione majus esse docet. Circumstantias famosi hujus experimenti quondam prolixum prosecutus p., consilistique in ponderatione tubi mercurialis ad stateram, vasculo mercurii pleno immersi, probavique phænomena hujus experimenti uti reliqua hujus generis perperam ex sola gravitate aeris explicari, e contra elasticitatem hic multum contribuere. Quem ergo hic commisit errorem in eo consilistit, quod phænomeno singulari aeris gravitatem infringere tentat, cuius tamen cause ejus elasticitati debentur. Prostant quoque anonymi cuius-

---

n. Loc. cit. p. 55. o. I. c. p. 232. p. Supplement. der wochentl. Berlinischen Intelligenz, anno 1736.

cujusdam & in aeris gravitatem dubia, sed quæ dum fugax  
vacui innituntur dudum à BOYLEO in defensione contra  
LINVM refutata sunt.

## §. IX.

*Aerem nostrum atmosphaericum quoque esse elasticum* communes corporum elasticorum affectiones satis comprobant, gravis enim est (§. 8), in omnes se plagas explicat nisi contineatur, & denique magis magisque se comprimi patitur, crescentibus potentiis compressionis, quæ quippe attributa in aëre reperiunda naturam corporis elastici satis produnt. Innumera vero experimenta cum aere facta docent amplius, aëris elaterem non in omnibus elasticitati corporum solidorum commode comparandam esse, solida enim elastica suæ elasticitatis sphæram habent, quam citra lœsionem vix transilunt. Quam sphæram aeris elasticitas possideat non obstante numero experimentorum maximo, adhuc penitus ignoratur. Pariter fluida corpora & elastica vim suæ elasticitatis spiritui cuidam aereo in acceptis ferunt, qui quoysque in ejusmodi fluidis suas exerat vires, æque manet inexhaustum. Non aberrant ergo, qui insignem aliquam diversitatem inter aeris & corporum solidorum elasticitatem querunt, misere vero hallucinantur, qui *omnem elasticitatem aeri denegant*, cum nulla veritas physica tot experimentis vix hodie corroborata sit, quam hæc ipsa. Quare in eos, qui non obstante rationis & experientiae pondere contrarium tuentur jure quadrat dictum, quod Philosophi mansissent si tacuissent, nec falcam in alienam messem immisissent. Sunt inter eos, qui ideo elasticitatem negant, quod minimae

B

aeris

q. Observ. Select. Hallens. T. VI. Obs. XXX.

aeris particulæ quoad figuram & indolem nos latent, qui que potius notione quadam abstracta huic elasticitati motum aliquem aeris substituunt, quem verbis describere nequeunt; quasi vero elasticitatis effectus non sint effectus motus, vel sub motu notione contineantur. Feliciore forsitan fidere tales *παιδερπίθαι* imposterum Priscianum, quam naturam explicabunt. Profecto! nisi me omnia fallant, non datur proximior in pristinas qualitates occultas relabendi via.

## §. X.

Transeundum mihi nunc est ad id, in quo ratione explicationis phænomenorum per antlam productorum controversiae cardo consistit. Plurimi nimurum hæc à pressione aeris, quæ ab ejus gravitate totali pendet, alii ab ejus elasticitate, paucissimi ab utrisque causis derivant. Alii porro neutrum horum admittentes ad fugam vacui, ad spiritum quendam sub vacuo sese contrahentem, & nescio quas causas configiunt. Aliquos etiam videas visibiles horum phænomenorum effectus aeri in acceptis ferentes; qui tamen conquerontur Eruditos in horum explicatione promiscue effectus cum causis confundere, quum nihilominus haec causæ prementes non citra exemptionem omnis scrupuli ex ipso aere derivari possint, sicque plus esse in effectu quam causa. Quidquid vero horum sit conabor hos effectus ad suas veras causas, nempe ad gravitatem & elasticitatem aeris atmosphaericæ referre. Assertionis suæ fontes satis corroborare nequeunt, qui ex sola aeris gravitate hos antliae effectus deducunt. Fimori nituntur fundamento, qui prohibent aeris effectus in producendis his phænomenis pneumaticis esse in ratione composita sue elasticitatis & gravitatis; Sicque pares vires

vires conferre, tam sua elasticitate quam gravitate. Hujus assertionis fundamentum latet in famoso TORRICELLI experimento, qui aeris æquilibrium tubi mercurialis ope dudum investigavit; simulque demonstratum dedit, tubi hujus altitudinem diversam semper esse pro diversitate fluidorum, quæ variae longitudinis columnas non solum formant, sed & ejusdem gravitatis specificæ cum ea portione aeris, quæ est columna ejusdem baseos, sed altitudinis totius atmosphære; unde nihil certius deducitur, quam gravitatem aeris totalem insigne exerere vires in producendis phænomenis ope antliae factis. Accedit mutatam barometri columnam a mutata semper aeris & gravitate & elasticitate dependere, quod proin attributorum aeris pari passu ambulat, & inseparabile est in producendis & explicandis phænomenis naturalibus. Ergo etiam elasticitatis & gravitatis effectus ejusdem erunt quantitatis, & perinde erit, sive dicam, hoc vel illud phænomenon ab elasticitate, vel gravitate aeris derivari. Exemplo sint marmora GVERICKiana, quæ tritura adeo cohærescant, ut saepè pondere centum librarum ad eorundem solutionem opus sit. Minime hic errabis, sive dicas, de mto aere inter superficies marmorum, aerem externum & ambientem sua elasticitate ita comprimere, ut marmora sustineant pondus centum librarum; sive dicas hanc pressionem a gravitate aeris pendere. Pone autem posterius falsum esse: non videbis cur accurate quantitas virium, quæ marmora compimit, sit ut pondus columnæ aereæ, cuius basis ejusdem peripheriæ est cum marmoribus. Eodem modo se res habet cum hemisphæriis Magdeburgicis, in quibus vires comprimentes semper se habent, ut areæ, ut cunque

hic insuper accedat mutata figura, quæ sphærica est & magnum aliquod spatiū vacuum includit. Idem adhuc sequentem in modum probatur. Aerem esse corpus fluidum elasticum sanioris judicii concedent omnes; sed corpora elàstica ulterius comprimi aut tendi possunt, etiam si actu hoc non fiat, quare semper tanta vi resistunt quanta comprimuntur. Non autem resistunt nisi vi sui elateris, elater aeris ergo æquatur ponderi totius aeris & eosdem edit effectus. Quoniam porro aeris pondus æquatur columnæ mercuriali circiter, elater aeris per consequentiam immediatam æquatut tubo TORRICELLiano. Errant ergo in dijudicandis phænomenis, qui quod universaliter verum, particulariter duntaxat affirmant. Judicij errores emendabunt, qui intelligunt effectus hujus nostræ machinæ, non nisi perspecta tubi TORRICELLiani naturæ recte explicari posse. Celeb. D. BERNOVLLI qui-dem putat, pressionem aeris non esse æqualem ponderi absoluto columnæ aereæ superficie datæ incumbentis, sed quartæ proportionali ad superficiem terræ totam, magnitudinem superficie datæ, & pondus totius atmosphæræ. Assertionis suæ vim ex modo, quo aer in vaseculo, in exemplo dato, comprimitur explicans. Non video autem quomodo corpuscula cylindro inclusa, etiam si numero sint infinita, comparari possint cum congerie corpusculorum, quæ atmospharam liberam constiueunt; quo negato cadit etiam hypothesis: pondus vaseculi sui operculo impositum non differre à pressione atmosphæræ superincidentis. Denique in omnibus aeris atmospherici mutationibus, quæ barometro indicantur, semper vel de-cremen-

crementum, vel incrementum densitatis aeris notandum est, à cujus variationibus varia aeris gravitas & elasticitas dependent: quæ duo phænomena, ab una eademq; causa producta, sui ipsius inseparabilitatem & theorematis toties inculcati veritatem evincunt: gravitatem & elasticitatem aeris atmosphærici partì passu ambulare & virium earundem quantitatem esse eandem.

## §. XI.

Supersunt alia phænomena machinæ nostræ pneumaticæ, quæ dum non rite secundum omnes circumstantias penitantur celeberrimos cætera viros ab errore in his dijudicandis non servant immunes. Perperam ut mihi videtur Exc. C. WOLFIVS à phænomenis pulmonis libere in vacuo suspensi argumentatur ad statum pulmonis animalis vivi sub vacuo incarcerati, dum in ea versatur opinione, pulmonem istiusmodi animalis non obstante aeris portione jam sublata, in omnibus suis cellulis intumescere & grandiorē fieri; cum tamen me judice continuus inspirandi nisus in istiusmodi animalibus vias à minima vesicula usque ad grandem tracheæ truncum reddat patulas; in mortuis vero animalibus pulmones hoc nisu careant, omnesque cellulæ sint collapsæ. Huic suæ hypothesi experimento l. c. p. 468. allato ulterius contradicit, quum pulmonem animalis sub vacuo extinti invenerit maxime collapsum, nec non iis quæ pag. 466. adfert, docens spacium intra pleuram & pulmones aere esse repletum, quod tamen falsum est. Posita vero hujus suæ assertio[n]is veritate, sequeretur necessario, nativum hunc a[er]em & egredi nescium tanto magis comprimere debere

B 3

pulmo-

<sup>5</sup> Nützliche Versuche. v. T. III. p. 466.

pulmones atmosphæra externa rariori reddita. Talem aerem intra pulmones & pleuram nativum non dari Chirurgi sua experientia comprobant in vulneribus pulmonum, quæ nisi summa cura ab ingressu aeris externi præcaveantur, respirationem admodum reddunt difficilem ne dum sufflaminant. Ipsa exploratio horum vulnerum digitis facta, satis superque pulmonem in inspiratione vehementer adeo se expandere docet, ut omne spatium surripiat & pleura lateribus contiguus fiat, quod fieri esset impossibile, si quædam aeris nativi portio hic reperiretur.

## §. XII

Nonnulli per eandem machinam *quantitatem aeris in fluidis reperiundi certo determinari posse* fibi persuadent, quod quidem eatenus admitto, quatenus diversa fluida in vasculo ejusdem magnitudinis sub vacuo examinata diversam bullularum aeararum quantitatem eructant, non vero quod his experimentis omnem & absolutam aeris quantitatem in fluidis mensurare possimus. Sed vitium præcipitantiæ hic commissum iis ignotum esse nequit, qui pro circumstantiarum numero ac varietate novas semper obseruant apparitiones. Ponamus, queso, effectus repetitos influidis variis, sed in eodem vasculo & sub eodem recipiente positis esse eosdem, mutabitur statim hæc effectuum conformitas pro differantia circumstantiarum minima. Si vasculum majus utcunque ejusdem figuræ adhibes, iterumque priora fluida subjicis examini, longe alii effectus redundabunt. Fluidi enim cujuscunque massa, & vasculi mole parvis plures semper bullæ eructabunt in primis antlia agitationibus, quam si volumen vasculi excipientis & massa fluidi major sit. Novos iterum effectus notabis si vascula quibus fluida

fluida excipiuntur aliā, quam cylindraceam figuram habent v. g. conicam, cubicam &c. Quod si vero recipientem sive campanam mutas, substituasque pro his experimentis majorem, iterum novi exsurgunt effectus. Ut nihil jam dicam de diverso atmosphæræ calore, quī multifariam prædictos effectus modis facit. Sic & eadem experimenta cum antlia instituta, quamquam in uno fluido plus aeris detegunt, quam in alio, nihil tamen valent ad inferendam consequiam; quod in hoc fluido ergo revera major aeris quantitas lateat, quam in altero. Nihil enim obstat, quo minus aer in uno fluido in minores moleculas divisus hæreat, quam in altero, quare tale fluidum, quod eandem aeris portionem continet quam aliud, ideo parcus non ebullit, quia tot aeris nativi non possidet, sed quia moleculæ aeris, in priori fluido minores, sublata atmosphæræ pressione se tam facile extricare, & resistentiam materie fluidi superare nequeunt; ut taceam coherentiam particularum fluidi unius præ altero esse teneaciorem, sicque plus resistentia aeri exenti creare. Liquet ergo ex allatis machinam pneumaticam non esse istud instrumentum cuius ope quantitas aeris in fluidis delitescentis accurate determinari potest. Calor & ignis è contra satis probare videtur aeris quantitatē in fluidis nulla ratione mensurandam esse, cum in olla quæ v. c. 2. tū aquæ continet, si igni admovetur, duæ tertiae partes evaporare penitus possint, & relicta tertia pars, postquam refrixerit, tantum aeris adhuc contineat, ut de novo igni commissa evaporare in totum possit.

### §. XIII.

Barometrum porro docet aerem effluviorum aqueorum copia refertum fieri leviorē, quod quippe instantे humida & plu-

& pluviosa tempestate descendere solet. Plurimi hujus rei veritatem impossibilem imo contradictoriam judicant, quum aer ex calculo C. WOLFII (§. 7.) sit 846. i.e. levior aqua. Inferunt hinc per consequentiam immediatam aërem humidum & particulis aquosis fœtum fieri debere graviorem, hinc descensum barometri tempestate humida non ab aere humido, sed alia causa, utcunque nondum perspecta derivandum esse. Sed qui naturæ modum, quo aqua in aere dispersa hæret probe penitus, hanc objectiōnem nullius momenti esse experietur. Aqua enim sub forma aquæ nunquam in aere hæret suspensa, sed tanquam specifice gravior guttatim & torreter in terram cadit, quæ vero hæret in medio aere, non amplius aquæ formam habet, sed mutatur in meras bullulas aqureas, quæ, quod specifice leviores sint aere atmosphærico in quo hærent ex sequentibus probo. W. DERHAM t peculiari experimento bullulas aquei vaporis in camera obscura foliis radio illustrata per microscopium reddidit visibiles. Hæ bullulæ sunt minimæ aquæ particulæ caloris ope in tam parvas moleculas divisæ, sphærulas concavas non vero solidas constitueutes, quarum folliculus est aquæ substantia immutata, cavitas vero repletur aere admodum rarefacto, longe majus spatium occupante, quam antea ubi bullula talis minima adhuc gutta aquæ erat. Per consequens hic rarefactus aer facit, ut folliculus bullulæ, (cujus materia 846<sup>ies</sup> specifice gravior est æquali moli aeris atmosphærici nondum in vapores mutati) nihilominus in aere natet, pariter ac videmus globum aureum concavum, aerem intus continentem natare in aqua etiamsi auri

materia

t Physico-Theologie. p. m. 95.

materia novem & decies imo ultra sit aqua gravior. Aer ergo nativus, rarefactus, vix à particulis minimis fluidorum separabilis, in his vaporum bullulis se habet ad aerem externum atmosphæræ in quo natant, ut aer istius globi aurei ad aquam in qua globus natat. Nihil ergo evidenter fit, quam aerem atmosphæricum impregnatione effluviorum aqueorum fieri omnino leviorum, quævis enim talis bullæ e loco, quem tenet in atmosphæra, ejusdem volutinis portionem aeris atmosphærici pellit, vi universalis axiomatis: omne corpus esse impenetrabile. Demonstrare autem velle has bullulas vaporum esse solidas, absconsum prorsus est, posita enim hac soliditate hæc bullulae ejusdem gravitatis specificæ essent cum aqua, & sic nunquam in auras elevarentur.

## §. XIV.

In explicandis phænomenis lacrymarum vitrearum tam in aere libero quam vacuo GVERICKIANO scriptores non inventio consentientes. Exc. C. WOLFIUS <sup>u</sup> evincere studet, aerem atmosphæricum non esse causam diffractionis substançæ lacrymarum vitrearum, quem in finem ejusmodi lacrymam in vacuo diffregit, & cum pariter in milles par tes dissiplierit, inde concludit aerem causam hujus phænomeni esse non posse, sed pace tanti Viri, si dicam quod res est, credo potius aerem minime ceu causam hujus phænomeni in vacuo excludi debere, omnibus enim circumstantiis, tam experimenti, quam objecti ponderatis invenimus, aerem in vitris hisce residuum, à summi ignis in officinis vitrariis consueti calore ita esse rarefactum, ut nunquam mechanice sub recipiente per antlam, facto tali artificiali

C

vacuo

<sup>u</sup> Mährliche Versuche T. III. p. 103.

vacuo, tam valde raresieri possit. Ergo vacuum GVERICKianum in comparatione ad aerem in lacrymis residuum sat continet aeris, cui expandendi nifus in interstitia hujus lacrymæ, dum frangitur, remanet. Eodem loco Cl. Auctori formales quasdam explicat rationes, quo nempe modo & cur diffracta lacrymæ cauda tota lacryma in tot partes diffiliat, quas tamen suo loco relinquo. Magis mihi atridet sententia Cel. HOMBERGII \* qui hujus subitanæ diffractionis rationes affert easdem, quas de gladio optime chalybeato & diffracto dare solent, qui suæ elasticitatis sphæram habet, intra quam si incurvatur, remittente compressione sponte restituitur, in frusta autem diffilit si nimium incurvatur, at cum materia vitri multo est fragilior chalybe, frusta diffracta debent esse longe plura & minora. Cui hypothesi ulterius faverit experimentum quo lacryma talis igni imposita non amplius diffilit, æque ac gladius suam elasticitatem amittit, qui igni committitur.

## §. XV.

Experimenta vegetationis plantarum sub vacuo tantis obstatulis ob moram experimenti sunt subjecta, ut valdopere dubitem Cl. HOMBERGIVM y recte concludisse, nec gravitatem nec elaterem aeris ad causas vegetationis sub vacuo referendum esse, quippe ipsi impossibile fuit omnem aerem ex humiditate, quæ sine dubio terra huic secundæ adhæsit, extraxisse. Quæ omnia & singula cum satis comprobent, quam facilis in errorem hic in dijudicandis phænomenis antlia pneumatiæ via sit, eo allaborandum erit naturæ mystis, ut & machinæ & objectorum & sui ipsius, & omnium reliquarum circumstantiarum cognitionem habeant, quantum fieri potest accuratissimam.

F I N I S.

x Memiores de l' Acad. Rojal. des Sciences. 1692. p. 183.  
y l. cit. 1693. p. 101.









**Farbkarte #13**



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches

72

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> CIRC<sup>V</sup>LARIS  
DE  
VITANDO ERRORE  
IN DIJVDICANDIS PHAENOMENIS  
ANTLIAE  
PNEVMATICAE,  
QVAM  
PRAESIDE  
CAROLO AVG<sup>V</sup>STO  
à BERGEN,  
MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD.  
IN  
AVDITORIO MEDICO  
DIE VII. OCTOB<sup>R</sup>IS AN. MDCC XLI.  
PVBLICE DEFENDET  
RESPONDENS  
JOH. CHRISTIANVS LINDNER,  
Lignic. Siles.

FRANCOFVRTI ad VIADRVM,  
Typis PHILIPPI SCHWARTZII, Acad. Reg. Typ.